

B. N. II, 153.
fi. 40, 19.

(X 1878220)

II K
2230

2. D. B. V.
EX JURE PUBLICO DISCURS

De

JURE STAPULÆ,

Quem

Permissu Magnifici atq; Nobilissimi

JCtorum Ordinis,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq;

Excellentissimo

DN. MICHAELE FRIDERICO
LEDERERO,

J. U. D. & Antecessore in hac almâ Leucoreâ celeberrimo,
Curia Electoralis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ

Affessore gravissimo,

*Dn. Patrono & Præceptore suo atatem
devenerando.*

Pudlicæ Disquisitioni sistit


AUTOR

HERMANNUS HAGGÆUS,

Huso Holsatus.

In Auditorio JCtorum horis antemerid.


Anno 1668. d. 23. Aprilis.



WITTENBERGÆ,

In Officinâ Finceliana excudebat Michael Meyer.







I. N. J.

s.1.



On omnia ubiq; fert tellus, pro veriverbio in vastissimo Orbis theatro non immeritò venditatur. Natura enim rerum & fructuum pro varietate loci maximè variat, ut non omni parti terræ aut provinciæ, imo fortasse nulli omne dedit fructuum & proventuum genus, sed divitias suas sparsim in terrâ distribuit. Cum igitur nulla penitus regio tantâ omnium copiâ abundet, ut sibi sufficere queat, uti in Illustr. Tract. J. P. de Not. rer. illustr. Autor Anonymus Burgoldensis disc. 12. part. 3. dicitur, oppidò exinde fuit, commercia non tam benè, quàm necessariè ad promovendum commodum Reip. esse instituenda. Interim de eorum utilitate & necessitate quicquam dicere pro ratione instituti nostri supersedemus in præsentia, remittimus tamen benevolum lectorem ad tractat. Dn. D. Hermanni Latheri Avi mei piæ memoriæ desideratiss. de Censu lib. 3. c. 12. th. 34 & 66. Hoc saltem innuere placet, quod, cum florere quàm maximè inciperent commercia, non tantùm terrestres peregrinationes instituerint mortales, verum etiam maritimas, quæ multò frequentius celebratæ majorem utilitatem emolumentumq; præbuerunt; quare spe uberioris commodi multi in unâ Civitate cives in Societatem commerciorum coierunt. Deinde Civitates multæ & quidem opulentissimæ ob commercia, partim eò meliùs promovenda, iisq; securitatem præstandi gratiâ, partim



tim ob mutuam negotiorum præprimis maritimorum, adver-
sus piratas prædonesq; mare intutum reddentes, defensionem,
societatis foedus pepigerunt, quod salutatum fuit foedus Han-
seaticum, per quod mirificè commercia inclaruere; adeò, ut,
cum ad ἀκμήν perventum esset, Principibus visum fuerit foedus
formidabile. Constitutis hisce Civitatibus Hanseaticis jus
Stapulæ vel introductum esse, vel florere præprimis capisse
non adeò improbabiler afferi potest, quod illud ipsum imma-
ne quantum ad illarum conservationem, & feliciorum com-
merciorum propagationem conducere videatur. De quo,
cum in præsentia pro ingeniitenuitate quædam rudi Minervâ
pertexere animus est, impetrato DEI T. O. M. auxilio, ordine
nos convertimus ad rem ipsam.

§. 2. Antequam vero Jus Stapulæ, quod nobis destinatum,
aggrediamur, lubet, ut de Origine ejus constet, de Societate
Hanseaticâ quædam, quatenus instituti patitur ratio, præmit-
tere. Cum jam mercatura cepit in imperio nostro Romano-
Germanico florere, quædam civitates & quidem potentissimæ
foecus quoddam non tantum inierunt, sed initium postera con-
firmarunt, & confirmatum assensu illorum, qui τὸ κέρδιον obtine-
bant, suis sancitis & decretis approbarunt, concessis insuper
privilegiis, ad commercia promovenda primariò tendentibus.
Paucis deinde attingere licet originem, ut & originationem
hujus Societatis Civitatum Hanseaticarum. Notum, quas-
dam Civitates esse provinciales & mediatas, alias Imperiales &
immediatas, alias esse mixtas, de hac divis. vid. Knipschild. *de*
Jur. & privil. Civit. Imp. lib. 1. c. 2. n. 3. & 4. Hæc vero Societas
Hanseatica maximam partem ex Civitatibus mixtis, aliisq; ordi-
nibus certis quibusdam pactis subjectis, tum etiam pro parte
ex civitatibus Imperialibus ac aliis nonnullis planè extra Impe-
rium nostrum sitis constabat. vid. Knipschild. *l. c. c. 4. n. 1.* Ex
quo ipsò eò difficilior evadit quæstio, An foedus Hanseaticum
appro-

569

approbandum, licitumq; censendum? Licitum hoc fuisse, affirmantes pro suâ sententiâ stabilienda provocant ad Recessus Imperis, ubi approbatum legitur: quidam confugiunt ad *Instrum. Pacis Osnabr. art. 8.* ubi Burgoldensis *in nota cit. tract. art. 8.* disertè affirmat Imperatorem sine consensu Ordinum foedera inire non posse, vice versâ, Ordinibus & Statibus imperii liberum relinqui inconsultò Imperatore foedera etiam cum exteris inire, dummodo non vergant in præjudicium Imperii: Paulò post idem Aut Anonym. Subjicit, quod singulis Ordinibus licitum sit, se colligare foederibus defensionis, & ob publicam utilitatem & conservationem securitaremq; talia foedera celebrare permiffum sit, Hinc, cum civitates inter status imperii recenseantur, concludit ille, hasce minimè excludendas esse. Negantes verò adducunt (1) quod foedera Civitatum seu subditorum regulariter citra consensum suorum Principum & Regum prohibeantur, cum nullibi subditis hoc liceat. *L. 3. C. de Summ. Trinit. L. 1. & 2. C. de fedit* (2) Conjuratiōnis Speciem præferat hæc confœderatio subditorum sine præscitu Superiorum. (3) In *A. B. Caroli IV. c. 15.* omnes confœderationes quorumcunq; subditorum improbari. (4) Status melioris conditionis non esse, quàm Imperatorem, cui id citra consensum comitalem non licet *dict. instr. pac. art. 8.* Hæc & alia proferunt, quæ tamen per hodiernam pacificationem Osnabr. abrogatæ leguntur; & quæ partim de conspirationibus & rebellionibus, non vero de foederibus securitatis loquuntur: ultimum quod attinet, dicimus diversum esse in Imperatore, cujus foedera, cum & offensiva esse possunt, majorem cautelam requirere videantur, *d. c. 15. A. B.* Confœderationes vero Civitatum approbantur in hisce verbis: *Quas Principes & Civitates &c. np.* si mutua defensionis foedera ob utilitatem & securitatem publicam contraxerint, quod meritò de foedere Hanseatico dicendum & asserendum, hoc enim foedus contra
præ-

prædones ob securitatem commerciorum & commodum publicum citra præjudicium Superiorum erectum esse constat. Ne dicamus, conventus Hanseaticos Imperatores, Reges & Principes splendidissimis suis Legationibus dignatos fuisse; ut & adhuc paucis ab annis nim. Anno 11598. uno eodemq; tempore Imperatoris, Regis Hispanici & Polonici legatos Comitibus Hanseaticis interfuisse erit notorium.

§. 3. Originem hujus foederis Hanseatici quod concernit, de quâ valdè incertâ maximè inter se certant Autores, dum quidam hanc descendere putant, quod, cum à vicinis Principibus & Dominis, præprimis verò à Danis & Cimbricæ Chersonesi incolis ac Svecis, Holsatiæ, Lünæburgi & Saxonæ regiones & civitates nimium infestarentur, & in commerciis impedirentur, illæ pro defensione, ad promovenda commercia libera, de mutuo invicem auxilio præstando convenerint incepisse hoc foedus putat Knipschild, l. c. & quidem paulò ante tempora Frederici II. Imperatoris circa Annum Christi 1200. Alii referunt originem ad Seculum XIII. alii extendunt initium hujus ad tempora, quæ antecesserunt nativitatem & Epocham Christi. Verum existimat Nobiliss. Dn. D. Conringius Dissert. de Urbib. Germ. th. 95. hoc conditum seu initum fuisse seculo illo XII. declinante, cujus sententiæ cum Knipschild. congruenti nostrum addimus calculum. Et hæc de origine dicta, circa Originationem mirè etiam variant Autores: Quidam denominationem Civitatum Hanseaticarum petunt à voce *An & See* aspiratione oblitteratâ, quasi *An See Städte*. h. e. à situ maris eas derivant, quod pleræq; sint maritimæ seu ad mare sitæ; alii à voce *Hansen*, quæ vox eminentes præ aliis olim notabat, unde *die grossen Hansen* dicuntur. vid. Kuricke de Jur. Marit. ad princ. Nonnulli à Gothico vocabulo *Ansi* deducunt, quasi *Proceres & Heroës vel Semi-Dei* dicti, unde in idiomate

Hanseaticis dicitur & all. tendum, hoc enim locum conit

117



570.

inf. Saxon. usu venit, ubi Ironice Hansi appellari solent, *das willen grote Hansen syn. it. en gewaldiger Hans.* vid. Knipschild. all. loc. c. 3. n. 3. & 4. Ex quibus apparet, vocem illam aliquid magni & præcipui denotasse. Conf. *Reinking. de R. S. E. lib. 1. class. 4. c. 20. n. 54.* Alii dictas volunt quasi *Handelstätte* à *Commerciis*, quæ in illis vigent; alijs. *Unsehnliche Stätte* / h. e. spectabiles, eò, quod præ aliis præemineant. vid. *Reinking l. c. n. 56. & seqq.* Kurike, Knipsch. loc. alleg. Dicuntur etiam *Hain und See-Stätte* secundum Recessus imperii. vid. *Limnæus J. P. lib. 7. c. 1. n. 60. & seq.* cui Hain idem est, quod Magnus, vox ab Hunnis desumpta, quorum procera erat statura. conf. Knipsch. & Limn. all. loc. Alii hæc Civitates Hanseaticas derivant, & quidem merè allusivè, à manu, seu *Hand* / quod mutuam defensionis vinculum hæc societas denotat. *Limn. l. c. n. 66.* De numero harum, quem, quidam LXXX. superare, alii ad LXVI. restringere cupiunt, nihil addimus. Conf. hæc de re *Dn. Conring. l. c. & Autores alleg.*

§. 4. Hisce de foedere Hansico præsuppositis, jam descendimus ad Jus nostrum *Stapulæ*, quod tunc temporis, quo Civitates Hanseaticæ ad ἀκμὴν quasi pervenere, maximè florere cæpisse censetur. Ut autem κατὰ τάξιν procedamus, consuetam & hæctenus servatam methodum, quæ in omni fermè tractatione occurrit, observantibus nobis considerata obvenit tum definitio Nominalis, tum etiam Realis; de illâ prius & quidem paucis erimus solliciti; in quâ præ reliquis nobis ponderanda Etymologia vocabuli *Stapulæ*, cujus denominatio valdè indifferens est; Nonnulli dictam volunt à Latino *Stabulo*, nempe ab adjuncto s. loco publico & in urbe jure *stapulæ* gaudente designato, ad quem Principis vel alterius summam potestatem possidentis autoritate & privilegio merces advectæ vendendi causâ convehuntur. Alii à Gallicâ voce *Estable*; quæ deductio est *Guicciardini* in *descript. Belgii*, & tacitè approba-

approbatur à Joh. Limnæo *de Jur. publ. lib. 2. c. 9. n. 131.* Alii tandem, & nostra sententiâ omnium rectissimè à termino tecnico **Stapeln** in emporiis Hanseaticis usitato, & idem, quod merces exponere, & iterum compingere denotante, derivare satius ducunt. Loccen. *de Jur. Marit. lib. 1. c. 10. §. 2.* Magnificus Dn. D. Ziegler. Patronus atq; Præceptor ætatem devenerandus in *Dis. de Jur. Commerc. tb. 78.* Fritsch. *de Nund. c. 10. §. seq.*

§. 5. Excusa nominis deductione, operæ pretium erit, ut illa Jura negotiaq; quæ vel cum nostro jure Stapulæ à nonnullis planè confunduntur, vel aliqualem quidem nanciscuntur affinitatem & similitudinem, eadem tamen cum eo proinde non censenda, ab eò, quantum fieri potest, discernamus. Primo quasi loco occurrit *Jus Emporii*, quod cum Jure Stapulæ expressè confundit Christoph. Besold *Thes. pract. sub voce Staffel/s. Stapelgerechtigkeit in verbis: Qui enim habet jus Emporii die Staffelgerechtigkeit &c.* Verum, etsi non negemus, jus emporii, in latissimo sensu acceptum, sub suo ambitu jus stapulæ continere, & ideò hoc ipsum illius nomine facile inscribi posse, præcipuè si vocem emporii, quemvis locum mercibus exportandis & importandis aptum notantem inspiciamus; quibus tamen negotiorum diversitatem naturamve eruere sollicitè & accuratè determinare curæ hæctenus cordiq; fuit, illi jus emporii & jus stapulæ diversa jura esse, illicò deprehenderunt. Pingujus jus emporii jure stapulæ censet Joh. Marquard. *de Jur. Mercat. lib. 2. c. 6. n. 7.* & supra cit. Dn. D. Ziegler. *d. disp. tb. 79.* Jus stapulæ enim tendit tantùm ad civium & incolarum illius civitatis jure dicto gaudentis commodum & utilitatem, in eò præprimis consistentem, ut ab exteris merces advehentibus, & ab aliis exteris easdem ementibus vectigalia Magistratibus persolvantur, & alia, quæ ex mercatorum mercimoniorumq; frequen-

tiâ

tiâ provenire solent commoda, ad ipsos cives redundant; in promptu præprimis mercium difformium pro vili quandoq; pretiò comparatione & emptione existente. Jus emporii vice versâ in exterorum utilitatem primariò tendit, cujus vigore quivis mercatorum promiscuè merces vendere & emere ad privatum commodum potest.

§. 6. Placet hic ad meliorem hujus discriminis intellectum verba Leuberi *de Jur. Stap. Magdeb. n. 490. & seq.* ex Joh. Marquard. *de Jur. Commerc. lib. 2. c. 6. n. 8.* huc transferre: Das Jus Emporii erstrecket sich noch weiter / und ist vom Jure stapulæ und Nundinarum dergestalt unterschieden / daß wo ermeldete nundinæ und stapulæ seyn / da mag auch ein frembder Handelsmann von solchen frembden Handelsmann die Wahren kauffen / und haben dabey die Bürger und Einwohner des Orths / da Jahr-Märckte und Stapeln gehalten werden / mehr nichts den gute bequeme Gelegenheit zu handeln / und daß der Obrigkeit / Zolle / Wehrgeld / Marckgeld und Accisen vermachtet wird / und daß die Einwohner und Bürger etlicher Orten den Vorkauff vor andern haben. L. 2. ubi gloss. verb. tradere: verb. hæc. ff. de Nund. Aber wo das Jus Emporii in vollem Flor ist / da mag ein frembder wohl frembde Wahren zu führen / solche niederlegen / und des Orts verhandeln oder verkauffen / und zwar allein den Bürgern: Aber an solchen Ort dörfen frembde von frembden keine Wahren erhandeln / sondern die frembde müssen diejenige Wahren / so sie erhandeln oder erkauffen wollen / allein von den Bürgern des Orths kauffen erlangen und handeln. Addimus & illud, emporiorum nomine illa propriè oppida locave venire, in quibus celeberrima & frequentissima non tantum exercentur commercia, sed & in quibus portus maritimi reperiuntur Handel-Städte an der See gelegen. Marquard. d. l. n. 9. Dotatas vero Jure Stapulæ

B



pula & alias esse civitates, in quibus maritimæ negotiationes
haud quaquam vigent, in aperto hodiè positum.

§. 7. Ex quibus spontè fluit discrimen etiam inter Jus por-
tus, & nostrum Jus stapulæ. Portum verò hic non domum
vel locum, in quem merces importantur & exportantur, prou-
ti ita accipitur in *L. 59. de V. S.* sed stationem conclusam & mu-
nitam à ventorum procellarumq; turbine ac piratarum inva-
sione in mari vel flumine, ut tutò stare possint, denotare & in-
ter publica vectigalia Ulpianum in *L. 17. §. 1. ff. de V. S.* vectigal
portus jamdudum retulisse, & Fridericum Imperatorem *2. F.*
56. regalium classi jus portus inseruisse præsupponimus. Ne-
quaquam igitur à Jure portus ad jus stapulæ inferendum esse,
partim ex conditione diversorum illorum Jurium, partim ex
locorum qualitate, satis patere putamus, cum jus portus civi-
tati non sit concessum, quæ tamen jure stapulæ gaudere potest,
& sæpè numerò actu pollet.

§. 8. Secundà vice se sistit Jus Germani *Kräen Berechtigkei*
Germanico idiomate dictum, quod itidem à nostro Jure Sta-
pulæ subtiliter discerni potest. Dictum illud esse ab instru-
mento tractorio ad flumina & portus collocato, quò vasa mer-
cibus repleta navibus extrahuntur, iterumq; imponuntur ex
Loccenio tradit Marquard. de *Jur. Comm. lib. 2. c. 6. n. 11.* Excu-
tiendum jam discrimen inter Jus Stapulæ & jus Germani latens.
In duobus præprimis id consistere deprehendimus: primò
Jure stapulæ concessò impeditur libera navigatio, dum locum
illum, cui præfatum Jus competit, non licet navim sive cur-
rum onustum sine prævia mercium expositione præterire; Jure
Germani autem libero transitui & navigationi nullum ponitur
impedimentum. Deinceps Jus Stapulæ primariò commercio-
rum propagationem, & emporii seu loci, jure eò dotati, utili-
tatem respicit; Jure Germani autem utilitati & commodis Prin-
cipis vel Reipubl., partim ad conservandam in mercimoniis
justitiam

justitiam, partim ad evitandas mercatorum, eò quandoq; con-
tendentium, ut vectigalibus solvendis se subtrahere possint,
fraudes inserviente. Klock. *de Contribut. c. 1. n. 12.* Marquard.
d. 1. Magnific. Dn. Ziegler. disp. cit. tb. 79.

§. 9. Diversitatem tandem, quæ nostro Juri stapulæ inter-
cedit cum iure Nundinarum & Mercatus, paucis attingere pla-
cet. Cum igitur Jus nostrum stapulæ ita sit comparatum, ut non
statis & certis temporibus inclusum sit, verum semper & singu-
lis diebus vigeat, & in usu perpetuò sit penes eos, quibus con-
cessum est hoc privilegiũ; contra vero nundinæ statutis & certis
diebus in civitate vel loco mercandi causâ à summo Imperante
constitutò celebrentur, ideò ex eò discrepantiam inter cæteras,
quas ex propositi ratione præterimus, differentias inter jus sta-
pulæ & jus nundinarum resultare opinamur. Dispersi aliàs nun-
dinæ solent in publicas s. solennes, annuas, semestrales vel heb-
domales. vid. Knipschild. *l. c. Lib. 5. c. 23. §. 1.* Rein-king *de R. S.*
E. class. 5. c. 6. n. 54. ἐν παρόδῳ & obiter notandum, quod mer-
catus nomine nundinarum non veniat, sed diversa species ab
his constituatur: scil. Mercatus locus est venalitiis rebus die de-
stinato vendendis deputatus, seu forus venalis certis diebus in-
serviens cum aliquo privilegio: Nundinæ vero dicuntur statu-
ti, dies in Civitate vel loco mercandi causâ liberè concessæ à
Principe cum immunitate donata: Sunt verba Magnifici Dn.
D. Ziegler. *l. c. tb. 83.*

§. 10. Excusâ definitione nominali, ad Realem facimus
progressum: Sufficiat autem nobis aliqualis Juris Stapulæ descri-
ptio, quâ illud definire placet, quod sit *Jus merces, quæ præter-*
ve huntur, eum in finem attinendi, & tamdiu quasi sistendi, ut non
prius, quàm exonerata vel venum exposita vel vectigalia soluta
fuerint, aliò transferantur. Hoc Jus meritò inter Regalia seu Ma-
jestatis jura Majora referimus, vi enim summæ potestatis, quæ
causa efficiens hujus juris erit, potest quilibet Princeps, qui τὸ

Βίον ἀποδοῦν αὐτῶν τῶν κούριον



κέρδιον in Republ. obtinet, hoc Jus cuiusdam civitati pro arbitrio concedere, adhibito tamen hoc discrimine, ne simpliciter cui-libet civitati hoc privilegium impertiat, ut exinde plus detri-menti quam emolumentum Reipubl. redundet; semper enim bonum publicum privato præferendum erit, & id, quod utilius esse Reip. intellexerit, sequi præstat. *L. 5. ff. de oper. publ.* Cum ergò Majestas circa commercia ut princiale sibi vindicat potestatem, multò magis circa accessorium scilicet jus stapulæ, quod merito respectu commerciorum ita dici potest, cum propter commercia hoc Jus constitutum censetur.

§. II. Causæ efficienti subijcimus causam materialem, in objectò partim, partim subjecto consistentem. De Objectò primitus tractabimus, quod merces constituunt, in cuius naturam, & quæ propriè nomine illius veniunt, paucis inquirere allubescit. Mercis appellationem ad res mobiles tantum pertinere expressè differit Ulpianus Jctus in *L. 6. ff. de V. S.* Ratio illius in promptu est: Cum enim Merx à mercando seu nundinando vel negotiando dicta perhibeatur, eò ipsò simul indicatur, res immobiles illius nomine decorari propriè non posse, quod res immobiles à nundinis ad alias nundinas à loco altero in alterum exportari & importari nequeant. Joh. Goëdd. *ad d. L. 66. de V. S. n. 4.* Joh. Marquard. *de jur. Mercat. lib. 2. c. 1. n. 7.* Hinc Cajus Jctus in *L. ult. ff. de condict. tritic.* mercis nomine vinum oleum, frumentum complectitur. Verum, licet aliàs homines inter res mobiles, vel accuratiùs se ipsos moventes omnino sint referendi, ex Africani tamen responso in *L. 207. de V. S.* illi mercis appellatione non continentur; Hinc & illi, qui servos venales exponunt, non mercatores, sed venalitarii dicuntur *d. L. 107. L. 73. §. 4. ff. de Legat. 3.* Ut ut enim venalitarii illi aliàs dicantur, qui quæstus causà venalitarum rerum negotiationem exercent, quoniam tamen, ut dictum, mercis nomen in servis non obtinet, ideò maluerunt Romani, sub generaliori venalitariorum nomine negotiatores servorum continere, aut
quasi

573.

quasi speciem mercatoribus contradistinctam constituere:
Gædd. d. l. n. 2. Quicquid tandem eorum sit, sufficiat hic notas-
se, mercium nomine res mobiles tantum propriè venire, nec
mutua hic reciprocatio protinus facienda, ac si omnes vice ver-
sâ res, quæ mobilium numero aliàs continentur, mercium
classi accensendæ, sed inspicienda earum simul natura, an mer-
candi, negotiandi, quæstusve faciendi gratiâ habeantur nec ne
L. 32. §. 2. ff. de Usufr. leg.

§. 12. Multæ equidem res mobiles reperiuntur, ut caseus •
butyrum, frumentum, lana &c. quæ tamen non prius merces
dici merentur, quàm si negotiandi causâ fuerint comparatæ.
Hinc bona sua obligans, non confestim merces obligare volu-
isse censendus, quod eæ bonorum suorum appellatione non
contineantur per L. 73. §. pen. de Legat 3. quoniam eò non ha-
bentur animo, ut in patrimonio & eodem perpetuo loco per-
maneant, sed ut quæstus causâ e manu in manum recepto au-
ctiore pretiò transferantur. Gædd. d. l. n. 5. Alioquin non diffi-
temur pro substratæ materiæ diversitate mercis vocabulum ad
omnes negotiationes, & proinde etiam immobiles, quippe
quæ commerciis non exemptæ, pertinere; sic in edicto de tri-
butoriâ actione appellationem mercis angustiore ad omnes
negotiationes, non tam propriâ verbi illius vi, quàm permissâ
edicti interpretatione Pedius extendit teste Ulpiano in L. 1. §.
2. L. 5. §. 4. ff. de Tribut. act. Effecit nihilominus diversa hæc
mercium acceptatio, ut inter Jctos Wittebergenses & Lipsien-
ses tanta controversia olim exorta fuerit, an merces in tabernâ
retentæ mobiles an immobiles dicendæ, quanta condigna cen-
sebatur Electorali decisione, quæ ea, quæ merces mobilium no-
mine contineri defendit, sententia approbata, & multis dein-
ceps præjudiciis confirmata, ut Nobiliss. atque Excellentissimus
Dn. D. Præses Patronus atq; Præceptor atatem venerandus in
prælect. ptivat ad ff. tit. 4. de Tribut. act. & tit. 2. ff. in quib. caus.
pign.

pign. vel hypoth. satis accuratè docuit. Conf. etiam Matth. Berlich *conclus. pract. part. 2. conclus. 29. n. 37. & seq.* Dn. Carpzov. *Jurispr. forens. part. 3. constit. 24. def. 9.* De cæterò, nondum videtur sufficere, mercium propriè sic dictarum naturam exposuisse, sed necesse ulterius, ut eas ipsi applicemus mercaturæ & commercio. Cum enim non omnes res, utut mobiles, commercii sint capaces, sed quàm plurimæ reperiantur, quarum vel ex toto vel ex parte nullum est commercium, de quibus videri potest Marquard. *de Jur. Mercat. lib. 2. c. 1. n. 19. & seq.* & Dn. D. Ziegler. *diss. cit. de Jur. commerc. tb. 38. & seq.* ideò nec nostri Juris Stapulæ objectum eadem esse poterunt, cum illud ad commerciorum florem insigniter faciat.

§. 13. Et imò, licet dentur merces, quæ in aliis commerciorum generibus modisve locum inveniunt, in nostro tamen Stapulæ Jure non protinus objecti vicem sustinent. In genere quidem ac indeterminatè eæ hic intelligi debent merces, quæ, ut prætervehi possint, aptæ natæ vel effectæ, cum autem pro diversitate tum locorum, tum mercium nostrum Jus Stapulæ valdè variet, ideò inspiciendus probè & considerandus modus privilegii vel Juris Stapulæ concessi; quod relatione ad alias civitates & emporia habitâ, hoc ipsum odiosum & proinde stricti Juris censendum, nec ad alias temerè quàm expressas concessione Superioris merces extendendum. Quodsi igitur locus fortean reperiatur, cui Jus Stapulæ indistinctè & indeterminatè concessum, (Licet id ipsum conjicere ob datam rationem non facilè liceat) utiq; non peccabunt loci illius Cives, si omnes promiscuè merces attineant, quod aliàs nemini quis faciat injuriam, qui Jure sibi concessio utitur. Quodsi verò merces determinatæ & definitæ fuerint in concessione Imperiali, earum ratio præcisè habenda, nec citra violationem privilegii ad alias non expressas merces prorogari temerè poterit. Christoph. Besold. *Thes. Pract. verb. Staffel und Stapelgerechtigkeit. Præcipuè*

ei puè vero potulenta, esculenta, & in genere ad victum quoti-
 dianum, spectantia in re stapulæ comprehenduntur, ut eò
 major illorum adsit copia. Magnific. Dn. Ziegler. *de Jur. Commerc. tb. 80.* Sic de Middelburgo Zelandiæ testatur Limn.
J. P. lib. 2. c. 9. n. 131. illam habere stapulam vinorum ex Galliâ,
 Hispaniâ, Lusitaniâ, provinciis cœteris in hanc Belgiam adve-
 hi solitorum; quare tenentur tam nautæ quam negotiatores
 maves suas vinarias eò advertere & vina venum exponere.

§. 14. Interea non negamus, alias & difformis conditionis
 qualitatise merces in jure stapulæ concedi & contineri posse:
 dictas in genere **Staffelbahre Güter.** Sic Christoph. Leh-
 mann. *in Chron. Spirens. lib. 4. c. 22.* de nonnullis civitatibus
 ita differit, und haben diese Berechtigfeit / welche Schiffe
 den Rheinstrohm auff- und abfahren/ und mit Staffelbah-
 ren Gütern beladen seyn. &c. Accuratè igitur discernenda
 ab invicem sunt **Staffelgüter** und **Meßgüter** / so nicht
Staffelbahr/ denn der **Staffelbahren Güter** halben muß
 man sich der **Stadt Spener Staffel-Freyheiten** gemess hal-
 ten und **Staffel-Recht** halten. Mit den **Meßgütern** aber/
 so man berechtiget / mag man unausgeladen fürüber schif-
 fen. Paul. Matth. Wehner. *pract. observ. in verbo Staffel-*
Recht. Aliàs merces, ut ita dicamus, stapulares nos in præsen-
 tiarum determinare non possumus, sed, ut ante diximus, at-
 tendendus probè, & inspiciendus tenor privilegii, vel con-
 cessionis Juris Stapulæ, & ex eò demum earum quidditas
 quam strictè desumenda.

§. 15. Hactenus de Objecto Juris Stapulæ; jam ad subjectum,
 quod duplex facimus; Passivum & Activum, progredimur.
 Passivum dicimus Mercatores vel nautas, quia Jus stapulæ in
 eos suam quasi exerit operationem, dum ipsi merces suas pro-
 lubitu non possunt prætervehere, sed eas prius venum expo-
 nere tenentur. Per Mercatores aliàs proprie non intelliguntur
 negotiato-



negotiatores qui officinae vel tabernae praesunt. *tit. Cod. negot. ne mil. lib. 12.* neque Campsarii, qui omne genus pecuniae in promptu habent, ut desiderantibus pro lucro privato praesentare possint, sed qui quaestus liciti faciendi consequendive causa mercaturam actu frequentant & quasi cum aversione emunt, merces in quantitate tenentes, easque rursus in copia vendentes, in quod ipsi mercatores a propolis & revenditoribus germanice *Höcker/wieder Verkäufer/und Land Krämer/* qui merces minutatim ac ad ulnam, mensuram &c. distrahunt, discrepant. Joh. Marquard. *de Jur. Mercat. lib. 1. c. 7. n. 42.* In substrata autem materia sequelramus subtilem inter Mercatores & alios negotiatores Romanis quoque cognitam discrepantiam, vid. Calvin. *Lexic. jurid. sub voco negotiatores,* & per mercatorem omnes, qui mercibus negotiantur, i. e. emunt eas, ut carius vendant, intellectos volumus. Quamvis autem ipsi mercatores in navi, quae praetervehitur, & ad quos merces in ea contentae spectant, non adsint, nautis tamen navim appellere & merces venum exponere incumbit. Accipitur quidem vox nautae in strictiori conceptu, pro eo qui navim exercet, i. e. ad quem omnes obventiones & reditus spectant, ac Magistro navis, cui gubernatio hujus commissa, contradistinguitur, iterum tamen per nautas omnes eos, qui navis navigandae causa, modo de mercibus disponendi quaedam potestas ipsis concessa, in nave sunt, intelligimus. *L. 1. §. 2. ff. naut. caup. stab. &c.*

§. 16. Dicta tamen haecenus de exteris tantum mercatoribus & nautis intelligenda; Incolae enim seu cives, quibus hoc jus in alios exercendi permissum est, ab hoc onere sunt exempti, uti ipse Lehmann. *d. loc. c. 22. lib. 4.* expresse, fatetur: *Die Bürger haben/inquit, damahls die Berechtigkei gesucht/und eröbert/das sie die Güter/so sie zu Schiff geladen/ander Kaiserlicher Zollstadt zu Speir nicht verzollt/oder kein*
Accis

575.

Accis oder Niederlage davon entrichtet. Hinc patet, quod exteri, qui jus civitatis ibi non acquisiverunt, hoc jure obstructi, ad redimendas merces, telonium solvere teneantur. Verum, alterius Civitatis civem quam optimè hoc jure gaudere posse non negamus, unde ad stabiliendum hoc, disquiri hic posset; an quis duarum Civitatum civis aptus erit? quod certo respectu affirmamus, etiamsi in unâ tantum civitate domiciliū teneat, tamen ex parte alterius Civitatis Jure fruitur propter commercia, & sic partialis erit civis, qui quidem alibi habitans, cum civitate alterius territorii confœderatus, uno hoc pleni civis Jure scil. stapulæ, non vero omnibus privilegiis & Juri- bus Reip. uti censetur. vip. Knipschild, *de Jur. & privil. civit. lib. 2. c. 29. §. 35. & 85. L. 29. ff. ad Municip. l. 6. & 7. C. de Incol. vid. Liebenthal. coll. polit. exerc. 5. quæst. 6. & Dn. Cellar. Polit. lib. 1. c. 7. n. 12. & seqq.*

§. 17. Subjectum autem activum, quod exercet jus stapulæ, est Civitas, non quâ talis, alioquin illud in commodum nonnullarum civitatum introductum in extremum omnium facile tenderet detrimentum, sed quæ vel principali indulgentiâ ac privilegio vel præscriptione jus illud stapulæ adepta. Nequæ erit facile, qui de frequentia istiusmodi Civitatum & pluralitate quicquam dubitare sustineat, omnes tamen eas hic recensere, aut singularia cujusvis privilegia curiosè scrutari propositi interdicit ratio. Præcipuas tamen paucis si attigerimus, lectori adeo ingratum non futurum confidimus. De Ratisbonâ Ingolstadio & Passavio ad Danubium testatur Christoph. Besold. verb. *Staffel oder Stapelgerechtigkeit*: utut inter Passavienses & Ratisbonenses de illo Jure stapulæ magnam fuisse contentionem ex Mynsing. cons. 19. tradat Joh. Marquard. *de Jur. Commerc. lib. 2. c. 6. n. 22.* Ad Mosellam hæc immunitate Treverim gaudere, & in Visurgi unicam Bremam eam prætere, præfatus attestatur Marquardus & Linnaeus de

C

J. P.



J. P. lib. 2. c. 9. n. 132. Ad Rhenum tres sitæ civitates hoc stapulæ Jure dotatae, Colonia Agrippina, Moguntia & Spira. Christoph. Lehmann. *Chron. Spirens. lib. 4. c. 22.* Solcher Staffel/ inquit, sind in den Städten am Rheinstrom/Cölln die erste/Mainz die andere/und Speir die dritte &c. Wratislavi- am, nobilissimum alias Emporium, hoc jus stapulæ Anno 1511. à Wladislao Poloniae Rege eâ ratione impetrasse, ne quis Polo- norum vel Germanorum negotiandi causâ Wratislaviam præ- teriret, nisi merces prius deposuisset, testis est Jacob. Schik- fufs. in der *Schlesisch. Chron. lib. 1. c. 38. fol. 180.* V. etiam Loc- cen. *de Jur. marit. lib. 1. c. 10.* Taceamus controversias inter Hamburgum & Magdeburgum hoc seculo quâ ius stapulæ acri- ter agitas, quod illæ eam supponant, desiderentve cognitio- nem, quæ nostram transcendant cathedram. Magnif. Dn. D. Ziegl. *Disp. de Jur. Commerc. tb. 81.* Vid. interim Marquard. *d. l. n. 24. § seq.* Cæterum quotquot sint Civitates, quæ jus stapulæ prætendunt, omnes tamen vel Principis seu summam tenentis potestatem autoritate vel præscriptione id quæsitum habere debent. De priori acqvirendi hoc privilegium modo nullum restat dubium, quod ex superius in th. 10. dictis abun- dè patescat, causam efficientem illius esse summam potesta- tem, unde potestatem concedendi jus stapulæ inter regalia ha- ctenus numeratam esse in confesso est, (*Klokk. l. c. de contrib. c. 3. n. 42.* ad Bannalia annumerari hoc jus dicit; sed quid eo in- tendit, non satis liquet) & quidem adeò, ut nec Electores in suis Electoratibus ditionibusq; sine peculiari Imperatoris con- cessione jus stapulæ sibi arrogare possint. Eapropter, cum Elector Palatinus Rheni Anno 1575. zu Oppenheim ejusmodi jura der Staffel-Freyheit usurpare cepisset, per Spirenses mandato Casareò pœnali sine clausulâ impetratrò, hoc ei in- hibitum est, prouti ex Gylmanno refert Wehner. *observ. pract.*
vaca. Staffel-Recht.

§. 18. Et.

576

§. 18. Et id tandem ex dictis fluit, quod uti aliàs regalium concessio strictè accipienda, & concessis quibusdam regalibus concessio isthac ad similia porrigi nō debet. Dominic. Arum. de *Jur. publ. vol. 3. discurs. 15. tb. 119.* Ita licet regalia quædam alicui expressè concessa, & generalis clausula deinceps sit subjecta, cum omnibus & quibuscunqve aliis, jus stipulæ tamen, si specialiter non sit expressum, non protinus concessum erit, sed ea tantum, quæ ejusdem sunt generis & qualitatis cum Regalibus nominatim expressis concessa perhibentur. Quoad alterum vero acquirendi jus stipulæ modum, præscriptionem scl. res non adeò videtur decisa; quod regalia offibus Principum ita inhæreant, ut exinde divelli, vel in inferiorem transfundi nequeant, uti Matth. Stephan. de *Jurisdict. lib. 2. p. 1. c. 7. n. 24.* differit.

§. 19. Sed verò formandus hic prius controversiæ status; Neque enim id in præsentì intendimus quæstione, quod Regalia præscriptione ita acquiri possint, ut Principi adimantur, & in præscribentem transferantur; Sed potius, sicut alias regalia, uti vulgò dicuntur Majora, non privativè, sed cumulativè, concessa intelliguntur, ita, & cumulativè, non privativè eadem præscribi asserendum. Henric. de Rosenthal. *Synops. Jur. feud. c. 5. conclus. 18.* Deinde non quævis præscriptio hic intelligenda, sed ea tantum, cujus initii nulla extat memoria. Tandem nec ea jura nostro subjacēt conceptui, quæ in signum recognitionis superioritatis Majestatis Imperatoriæ ipsi competunt Imperatori. Licet enim Ferdinand. Vasquius *controv. illustr. lib. 1. c. 2. n. 14. c. 22. n. 19. & lib. 2. c. 72. n. 18.* jus superioritatis adversus Principem tempore immemoriali præscribi posse sentiat. Rectius tamen diversum asserunt citatus Rosenthal. *tract. feud. c. 5. concl. 16.* & Andr. Gail. *observ. pract. lib. 1. observ. 21. n. 16.* Cætera a. regalia, utut in signum supremæ potestatis Principi reservata sint, (potius in nostro imperio relicta secundum Burgold. *p. 1. disc. 10. §. 15. in. fin.*) immemoriali tamen tempore omninò præscri-

bi posse, tradunt cit. Rosenthal. *d. l. And. Gail. d. l. n. 15. & de pac. publ. lib. 1. c. 6. n. 11.* Hermann. *Vultej. de Feud. lib. 1. c. 9. n. 21.* Conrad. *Rittershus. partit. feud. lib. 1. c. 18. quest. 7.* Istiusmodi enim præscriptio habet vim privilegii ab Imperatore tributi, & æquipollet concessioni specialiter factæ Domin. Arum. *de Jur. publ. vol. 3. disc. 15. th. 121.* Et si juri Canonico in præsentis negotio authoritas quædam transcribenda, hæc sententia expressè approbata reperitur in c. 26. in verbis: *vel ex antiquâ consuetudine à tempore, cujus non extat memoria.* X. de V. S.

§. 20. An autem scientia Imperatoris præcisè requiratur, ulterioris est disquisitionis; Esse equidem qui eam rigerosè requirunt, esse vicissim, qui Præsidis vel Magistratus loci scientiam sufficere contendunt, testatur Rosenthal. *d. l.* Sed neutram desiderari rectius sentit Vultej. *d. l.* & Domin. Arum. *d. l.* De jure demum Saxonico regalia immemoriali tempore præscribi defendunt Petr. Heig. *p. 1. quest. 16. n. 46. & seq.* Benedict. Carpzov. *p. m. respons. lib. 1. respons. 44. n. 20.* Quodsi igitur in regalibus in genere prædictâ ratione præscriptio obtinet, parata erit illatio, jus stapulæ quoq; eodem modo acquiri posse, quod aliàs ea, quæ de genere prædicantur, etiam de speciebus regulariter dici soleant. Hinc nonnullas Civitates soli possessioni & continuo usui insistere putat Magnif. Dn. Ziegler. *disp. de Jur. Commerc. tb. 81.*

§. 21. Ex prædictis jam satis constare confidimus, formam nostri Juris stapulæ ex tenore privilegii, concessionisve Imperatoris vel determinatâ præscriptione petendam esse. Anxiè igitur & accuratè verba privilegii inspicienda, & si quid in illis non reperiatur expressum, pro omisso illud habendum, quod hujusmodi privilegia, utpote à Jure communi recedentia, strictissimè & secundum verborum tenorem sint intelligenda. Neq; tamen sub jure Stapulæ necessitas vendendi in loco, ubi id exerceri consuevit, perpetuò comprehenditur, sed

sed quandoq; in solâ vectigalis solutione, aut vehiculorum mutatione finitur, cum aliàs, si de contrariâ speciali observatione non constat, propriâ sua vi & significatione solum appulsum, & exonerationem semel faciendam comprehendat, nec aliud vinculum aut necessitatem mercibus injiciat. Joh. Marquard. de Jur. Commerc. lib. 2. c. 6. n. 33. & seq. Hoc igitur casu, vectigalibus ritè persolutis, merces, quo libet, transportare licet. Hinc Christoph. Lehmann. Chron. Spirens. lib. 4. c. 2. inquit: **Daß Sie dieselbe (scil. merces) ins Rauff-Hauß führen / und davon die Schuldigkeit zahlen / welche nach entrichteten gebührenden Accis überschlagen / daß ist / in andere Schiffe oder auff die Aÿe geladen / und in die Ober-Rheinische Lande verführet werden; wie dann die Stadt Speir und derer SchiffLeuten von Alters her die Schiffahrten auff Straßburgk gehabt / und vermöge Kaiser Friederichs privilegii de dato 1162. nicht mehr den 13. Heller geben dürffen.**

§. 22. Ab hisce exactionibus vectigalium, non nihil differunt Riparticagerm. **Fährich** / & vectigalia fluviatica vulgò **Wasserzoll** item Gabellæ in mari **Meer und See-Zoll**. Illa nemo Jure exigere potest, nisi is, qui jus teloniorum in fluvio, vel in ripâ ejus à Principe per expressam vel tacitam concessionem h. e. per privilegium aut longam præscriptionem quæsitam habet, & sic nec in proprio quidem territorio ea licet instituire sine autoritate Principis summi, vel præscriptione temporis immemorialis. Besold. thes. Pract. l. cit. quod legis vicem sustinet, & altera consuetudo dicitur, quæ tandem legis vigorem habet. L. 32. §. 1. ff. de LL. Gabellæ verò sunt species certi tributi, & exactionis, quas Princeps potest imponere, easque exigere per mare suæ terræ adjacens ultra centesimum milliare, nam eò usque Jurisdictio à littore per mare extendi videtur, uti Wehner. obs. pract. l. c. sentit, quod quidam de Italicis miliaribus intel-



lectum volunt. In hoc tamen residet differentia Gabellarum & vectigalium tam fluviaticorum quàm ripaticorum cum nostro Jure stapulæ, quod secundum hoc de omnibus mercibus non ubique exigatur vectigal, sed restringitur ad certas & quidem præscriptas merces: Illa verò ut & Gabellæ exiguntur de quovis genere mercium, & spectant vectigalia ad omnes omnium hominum res *L. 6. C. de vectig. & commiss.*

§. 23. Coeterum Jure stapulæ sive sola saltem exoneratio, sive etiam necessitas vendendi contineatur, neutrò modo vendentes ad evitandam mercium expositionem novas vias quærendæ possunt, quod non debeat, prouti differit Christoph. Besold. *Theaur. pract. sub verb: Staffel und Stappel gerechtigkeit / per indirectum licere, quod directè prohibitum est, & si prohibitum quid reperitur ex aliquâ ratione, tunc censentur etiam prohibita omnia illa, per quæ potest sequi effectus illorum prohibitorum. Ut ut autem Jus stapulæ exerceri ritè satis possit, necesse est, ut (1) Adsint ædes emporiales seu forenses, in quas merces transportari & deponi possint, **Weich-Häuser** seu **Niederlag Häuser** / unde Jus stapulæ germanicè **die Niederlage** dici capit: sicut enim forum à ferendo vocatur, quod in illud merces vel controversiæ ferantur & deducantur, unde forum judicii & forum promercialium audit, ita stapula, mutuato de germanicâ lingvâ vocabulo, aggestionem & comportationem mercium omnium, quæ id generis sunt, ut servando servari possint, notat. Marquard. *d. l. n. 60.* (2) Ut adsint ministri, qui præsent stationi & negotio illi stapulari, in mercium exportandarum conditionem inquirentes, & summam eò prospicientes, ne dolus vel fraus aliqua adhibeatur. Hinc iterum Christoph. Lehmann. *d. l.* ita inquit: **Ist von Altersher gewesen und noch/nehmlich Kauff-Hauß/Kranen / Schiffer und Kärcher / und dergleichen Kauff-Hauß Ober-Herrn / Kranenmeister / und Kauff-Hauß-Knecht.** (3) **Daß die Kauff-Hauß-***

Hauß-Verordenete über die auffgeladene und niedergelegte Staffel-Wahre / ob sie von Würden oder nicht / erker-
nen und richten / und die so unfertig / verwerffen / und die
Fahrten zu Schiff und der Art Ordnung aussagen.

§. 24. Tandem, ut jus Stapulae legitimè exerceri possit, de-
sideratur, ut Civitas jure stapulae dotata gaudeat jurisdictione
in merces exportatas & mercatores appellentes. Licet enim
Mercatores extranei sint, & proinde eos impunè non parere,
asserendum videatur, per *L. fin. ff. de Jurisd.*, quia tamen ju-
risdictio in eos, pro eò tempore, quò in civitate illà moran-
tur, competat, nullus facilè dubitabit. Unde leges advenas
quoq; obligare, rectissime sentit Henric. Zoes. *ad ff. tit. de LL.*
n. 20. Rectè Grotius de *J. B. & P. lib. 2. c. 11. n. 5.* disserit: *Quare*
etiamsi peregrinus cum cive paciscatur, tenebitur illis legibus:
quia, qui in loco aliquo contrahit, tanquam subditus temporari-
us legibus loci subjicitur. Eò ipsò igitur, quo Jus stapulae con-
ceditur Civitati, simul quoq; & Jurisdictio, & potestas anim-
advertendi in mercatores & nautas refractarios, navimq; ap-
pellere, vel merces exportare, aut venum exponere, reluctan-
tes, concessa videtur. Concesso enim sine omnia etiam illa,
sine quibus hic obtineri non potest, concessa perhibentur; &
frustraneum sæpè numero ac inane evaderet illud privilegium
stapulae, si jurisdictio Civitati in mercatores vel nautas præter-
vehentes ad tempus non competeret, quod hi ipsi aliàs omnem
moverent lapidem, ut appulsum & exonerationem evita-
rent.

§. 25. Quousq; autem se Jurisdictio hæc extendat in ejus-
modi civitatibus hoc jure gaudentibus, diversi in diversas abe-
unt Autores sententias; quidam Dd: vulgò asserunt, quod Ju-
risdictionem habens in territorio vel districtu mari coherenti,
habere existimetur in mari Jurisdictionem usq; ad duorum
dierum iter. Conf. *Loccen. all. loc. lib. 1. c. 4. n. 6.* & ab eò cita-
tus



853
tus Hieron. de Mont. Brixia. *de fin. reg. c. 7. n. 12.* Bodin. *lib. 1. c. ult. de Rep.* Jure Principum omnium maris accolarum communi receptum esse testatur, ut sexaginta miliaribus à littore Princeps legem ad littus accedentibus dicere possit. Alii Principibus suis jus ac Jurisdictionem in mari competens, longius metiri volunt, alii strictius & brevius determinant. vid. plura ap. Loccen. l. c. Quicquid tamen ejus sit, cum Civitates hoc Jure gaudentes à summâ Majestate dependent, meritò etiam in ejus concessione & privilegii determinatione acquiescere necessum habent, & ultra limites sibi præscriptos Jurisdictionem extendere minimè valent. Hanc adstrictionem Juris exercendi dilucidè videre est ex illustr. Prætens. Sprengeri p. 218. dum de Hamburgensibus subjicit, quod illi omnes naves frumentum per 18. miliaria germ. super albi vehementes vigore Juris stapulæ attineant, illudq; publicè vendere cogant, quod jus seu privilegium à Carolo IV. iis datum à Friderico III. Imperatore innovatum legitur. Ultra hosce limites extendere jus stapulæ, licitum illis non erit.

§. 26. Omnia tamen delicta, quæ occurrunt circa hanc materiam, vi hujus Jurisdictionis, erunt decidenda, vel coram Magistratu Ordinario, vel coram arbitris extraordinariis seu Senioribus Mercatorum. Illo modo communiter omne delictum in mari particulari perpetratum in illâ Civitate vel Rep. puniri solet ab ordinario Magistratu, ad cujus Jurisdictionem mare seu flumen spectat, cujusve portui locus ille maris, ubi illud delictum perpetratum, propinquior erit. vid. Kurike *de Jur. marit. Hanseat. §. pen. & antep.* Sed si crimen in mari inter duas urbes æqualiter distantès commissum sit, ejus cognitio ad utramq; per concursum Jurisdictionis pertinebit, quia delictum commissum est in confinio, quod commune perhibetur utriusq; Civitatis.

579.

Civitatis. Attamen in quocunq; foro constiterint, & tabernam vel officinam conductam habuerint, mercesq; distraxerint, conveniri tanquam temporarii subditi coram Ordinario Judice possunt; cum plerumq; forum delicti competens sit, etiamsi domicilium alibi extruxerint, ex hac ratione, quia in loco delicti commissi facilius ejus erit probatio. Uti Ordinarius noster Magnus Dn. D. Zieglerus Præceptor ætatem venerandus in *præl. publ. ad tit. 2. J. Cap. de foro Compet.* asseruit. Extraordinariè lites seu delicta Mercatorum componi possunt coram delegatis arbitris, qui Laudum conficiunt, vel coram Mercatorum præfecto, vel eorum Senioribus, quos tamen bonæ opinionis & immaculatæ fidei esse decet. Mercatores adhuc Hamburgenses suum habent præfectum Societatis seu Stapulæ, quem *Kurtmeister* appellant. conf. Dn. D. Hermannus Latherus in d. *tract. de Censu. lib. 3. c. 12. n. 40.* Avus meus piæ mem. Coram hoc ut & illo omnes lites, quæ de mercibus Jus Stapulæ concernentibus obveniunt, componuntur.

§. 27. Cæterum, quæ commoditas loci Emporio mercaturæ, vel Juri Stapulæ seligi debeat, non iniquè quæri posset; Eligunt plerumq; Principes talia loca, iisque privilegia concedunt, quæ ob fertilitatem soli, seu commoditatem peregrinationis tam maritimæ quàm terrestri, ut & ob utilitatem cujusdam præterlabentis fluvii, & etiam ob commoditatem adjacentis sinus maris commendantur, quæ non longè à limitibus regni sita, de duobus extremis participant. vid. Sprenger. *Illustr. Præfens. status ratit 20.* Ad crebros mercaturæ usus etiam conducit, ut locum vel natura genuerit, vel ars construxerit, vel prudentia accommodaverit; naturæ enim munere si locus

D

civitatis

civitatis describatur, is erit situ facili ad agendum, negotia contrahendum, & transvehendum merces, nam com-
meandi & communicandi facultatem adjuvant præsertim
flumina & maria, navibus portandis, rebusq; devehen-
dis. Deinde artis & prudentiæ supplemento sublevan-
dum & restaurandum, quod commoditati loci deesse vi-
deatur: Omnia tamen & naturæ & artis munera pruden-
tia moderatur. Quoad situm ejus, nonnulli maritimis ter-
restria, terrestribus alii maritima præferunt; quidam ve-
rò temperamentum addere conantur, nec mari longè
remotum, nec planè maritimum optant. Sed hæc tan-
certis regulis definiri haud posse arbitramur. vid. Dissert.
Bœcler. *Diss. 7. de potent. Civit. Hisce* tamen limitibus Jus
Stapulæ comprehendi, dubium non erit, quin certus &
determinatus locus tum à quò, & locus limitatus ad quem
privilegio dato vel concessio contineatur; non secus ac
merces certæ, de quibus supra vidimus, privilegio ad-
stringuntur. Ideò enim hoc Jus ita usurpari debet, ut
ultra licitum non extendatur, & ut in certis ac speciali-
bus constituatur mercibus, & ad certa restringatur loca,
ne una Resp., Civitas, aut provincia Monopolium orbis
aut plurium provinciarum exercere velle videatur. vid.
Loçcen. *l. c. de Jur. marit. c. 10.* Id enim directò pugnaret
contra publicam utilitatem & communem societa-
tem.

§. 28. Sed hoc jus stapulæ seu appulsus alicui con-
cessus, an non utendo per decennium amittatur, fuit dubi-
tatum? Hanc controversiam quod concernit, in castra
negantium ire placuit; militat enim pro hac sententiâ,
quod privilegium semel concessum retrahi minimè
possit, cum, quod ab initiò voluntatis, & benè placiti,
ex

580.

postfactò fiat necessitatis, & cadat in vinculum obligatio-
nis: nisi fortè ex falsâ relatione, ac importunitate peten-
tis, vel obreptitiè in fraudem alterius à Principe impetra-
tum sit, quo casu impetranti non prodesse, nec aliis obes-
se æquius est. *L. 3. C. qui legit. stand. in jud. pers. hab. L. 5.
C. si cont. jus vel util. publ.* aut abusus, vel alia justa causa
intervenerit, quâ Princeps ad retrahendum & adimen-
dum stapulæ jus commotus est, quod aliàs, qui potestate
sibi concessâ abutitur, mereatur, ut eâ iterum privetur. Et
quamvis Principis sit æstimare, quem modum sui beneficii
esse velit. *L. 191. de R. J.* non tamen præsumitur, nisi pro-
betur ipsum alteri jus quæsitum privilegio velle auferre,
ne ex beneficio fiat injuria *L. 6. C. unde vi.* Deinde in du-
bio, uti Nobiliss. atq; Excellentiss. Dn. D. Præses Patr. ac
Præcept. ætatem de venerandus in prælect. priv. ad tit. ff.
de Scto Macedon. monuit, semper benignior interpreta-
tio arripienda: Jam verò, si disquiratur, an per decenni-
um vel ulterius spatium, ob non-usum, jus stapulæ amis-
sum censi debeat, tum semper explicationem & inter-
pretationem fieri debere in benigniorem partem, ratio
sana dicitur. Videri etiam potest de hac quæst. Leuber, de
Jur. Stap. Saxon. & Magdeb. n. 54.

§. 29. Tandem non deerunt fortè, qui nostrum
jus stapulæ impugnare, & iniquum asserere satius ducent,
variis moti ratiociniis. Nimirum, venditionem esse con-
tractum consensualem, ex primis Jurisprudentiæ nostræ
Romanæ elementis abundè constare, consensum autem
tollere coactionem, (ita differuit Nobiliss. atq; Excell.
Dn. D. Præses ad tit. ff. de Empt. & vend. ut & de reli-
quis contractibus consensualibus) Hinc invitum distrahe-
re postulantis desiderium justam causam non continere,
D 3 diser.

disertis verbis rescribunt Impp. in *L. 11. C. de contrab. empt.* Cum igitur vigore Juris Stapulæ liberum merces distrahendi arbitrium suspendatur, nemo non iniquitatis illud insimulare posset. Licet deinceps Reip. intersit, commercia florere, & libera exerceri; jus stapulæ tamen illorum libertatem insigniter supprimit & torqvæ, dum mercatores pro lubitu in terras excurrere & merces distrahere nequeunt, sed appellere naves ad locum gaudentem jure stapulæ tenentur. Possunt insuper Mercatores sæpènumèrò damnum aliquod incurrere illò appulsu & exoneratione ac venditione, quod merces fortean in loco stapulæ viliori pretio vendantur, quàm in aliis locis; iniquum autem aliquem ex facto & conditione alienà damnum aliquod pati. *L. 74. de R. J.* præprimis ex Sanctione & concessione illius, cujus Jurisdictioni & imperio contractantes non sunt subjecti. Sed vero non negamus, regulariter neminem invitum cogi posse ad rerum suarum distractionem, quod quivis sit rei suæ optimus moderator & arbiter. *L. 21. C. Mand.* nec illud arbitrium invito adimendum. Ex necessitate tamen & utilitate publicâ sæpissime ab illà regulâ recedi in confesso est, quoties enim is, qui præest Reipubl. deprehendit, utile & necessarium publicæ rei fore, ut determinatur illud moderamen & dominium, toties jure imperii ipsum non tantum modum ei præscribere, sed & ita restringere posse, ut quis res proprias vendere & alienare cogatur, etsi eas, sequestrato illò superioris præcepto, nondum vel planè non alienasset, nobis satis persuasum est. Quid enim, si Princeps ad palatium vel ecclesiam extruendam domo alicujus subditi opus habeat? Hunc cogi posse, ut eam justò pretio vendat, tradit *Dn. Hahn. ad V. Vesenb. de contrab. empt. n. 5.*
De

De Dominò in servos suos nimis faviente constituit ipse Imperator Justinianus in §. *fin. Inst. de bis qui sui vel al. jur. sunt*; illum, ut bonis conditionibus servos vendat, & pretium recipiat, itidem cogi posse. Quod si igitur Principi in aliis casibus facultatem disponendi de rebus suis subditis determinare potest, non videmus, quid obstat, quò minus rebus per territorium suum vehendis modum transvectionis, vel onus, exonerationis imponere valeret.

§. 30. Quamvis enim imperium directum in mercatores transvehentes, ceu peregrinos & extraneos, Principi non competat, indirectum tamen respectu rerum per territorium ipsius vehendarum omninò obtinet, ejusq; vigore civitati jus stapulæ, ut mercatores inviti quoq; & refragantes appellant navim, vel merces exonerent, aut venum etiam exponant, concedere potest. Loccen. de *Jur. marit. lib. 1. c. 10. n. 11.* Multò minus itaq; stringit alterum à commerciorum favore desumptum argumentum; Neq; enim commerciorum cursui, quicquam Jure Stapulæ præjudicatur, sed mercium exoneratio ad certum tantùm locum restringitur: alioquin privilegia uni civitati præ reliquis, quâ mercaturam competentia, aut uni mercatori præ reliquis concessa, eadem ratione iniqva forent dicenda. Nec habent tandem ipsi mercatores, de quò justè querantur, quoniam certum & determinatum habent locum, in quò merces distrahere possunt, nanciscentes vicissim favorabiliorem mercimonia celebrandi, & paratâ pecuniâ merces vendendi, opportunitatem. Quin imò si mercator deprehendat, in loco Jure stapulæ gaudente, merces vili nimis pretiò alienari, potest pro arbitrio suò recurrere ad locum, à quò

D 3

vene-



venerat. Limn. in *addit ad 7. P. lib. 2. c. 9. n. 130.* Interea
prospiciendum Principi prudenti, ne multis, aut qui-
busvis indistinctè civitatibus privilegium hoc stapulæ con-
cedat, quod aliàs in reliquis civitatibus non tantum eò
major egestas & inopia, mercibus ab aliis interceptis, sit
metuenda, sed mercaturæ insuper & negotiationi insi-
gne inferretur præjudicium ac damnum, quum tamen
promoveri potius illam, quam impediri rei intersit pu-
blicæ. Magnific. Dn. D. Ziegler. *Disp. de Jur. Commerc.*
tb. 77. Disquiri tandem hic Coronidis loco posset, an
privilegium hoc Juris stapulæ tempore belli suum vigorem
exferat, nec ne? Dubium movere posset, quod tempore
belli privilegia ut & leges sileant, & milites parumhas & illa
curare soleant, ubi vis imperat justitiæ; sed quàm ini-
quum hoc sit, cuilibet videre est. Potest quidem Juri pro-
se introductò quilibet aliquantisper cedere, sed ad illud
eum cogere posse, minimè dicendum erit. Magdeburgenses
hoc benè observarunt, cum ante aliquot annos milites Cæ-
sareani cum victualibus militaribus præternavigare in ani-
mò haberent, tentarunt Magdeburgò vi erumpere, & ideò
milites attenti & retracti per trium dierum spatium, vi
illius privilegii, inibi conqvieverunt, deinde iter continua-
runt. Conf. Leuber. de Jur. Stapul. Magdeb. loc. cit. Et
hæc sunt, quæ non pro materiæ propositæ dignitate, sed
pro ingenii tenuitate ventilationi publicæ exponere volu-
mus, quæ ut dextrè accipiantur, à benevolo lectore
obnixè contendimus, persolventes

SOLI DEO GLORIAM.



Velle suum cuiq; est, nec voto vivitur uno:
 Multos castra seqvi juvat, atq; laceffere Martem;
 Ille seqvens merces audaxq; per æqvora currens
 Non timet insanam rabiem scopulosq; minaces:
 Invenias studiis mentem qvi pascere gaudet.
 Quid vero censes, si nunc electio detur?
 Marte & Mercurio meritò prior audit Apollo.
 Mobilitas Martem seqvitur, dubia alea belli:
 Qvi Martem seqvitur, silitera vertitur una,
 Jam mortem seqvitur. Nec tutum fidere ponto;
 Fit etenim crebro, ut venti velut agmine facto
 Unà Eurus Notusq; ruant, & vitaq; merxq;
 Dispereant. Sed qvem comes illa scientia stipat,
 Nec timet adversam sortem, secum omnia portat
 Nec quisquam poterit dubiam illi reddere palmam.
 Hæc quoq; certe olim magno sudore parata,
 H A G G Æ I, obtinget TIBI, digna brabèa dabuntur
 Nec TE in palladiis castris certasse pigebit.

*In gratiam eruditissimi Haggæi Autoris hujus
 disputationis Clarissimi hæc apposuit*

PRÆSES.

Adspias ut patulo procrefcant gramina Campo,
 Jactaq; Ruricolis semina reddat ager.
 Inde brevi, qvò messor eat. qvo falce recidat
 Læti proventus fœnora, tempus erit,

Hactenus



92
TK
2230

Hactenus à primis sparsit prodigus annis
Semina : nunc fructus uberiora ferunt :
Tu gravis arte , velut Culmus curvatur arista ,
Offers te patrii mesibus ipse Soli.

*Eruditissimo Domino HAGGEO Commensali &
Amico suo dilectissimo animum gratu-
labatur*

Ægidius Strauch D. Colleg.
Theol. Assessor. P. P.

Qui benè profundas est doctus Juris abyffos ,
Laudibus hunc semper tollere quisq; solet.
Jus quoq; Te didicisse satis jam comprobat ipsum
Magnum tentamen quod Themidiq; placet.
Hinc non immeritò feliciter accino doctis
Inceptis , votum nunc superaddo meum,
Perge solers magni sic te comitantur honores
Quos meruit studium Juris ab ore tuum.

*Ad Auditorem suum maximè industrium gratula-
bundus dabat.*

Lic. Godofredus Strauß.

Ut rosa, tecta manum spinis lacerantibus albam ;
Ardua sic virtus per fruticeta micat.
Hanc arridentem magno sectatus amore
Atq; labore Haggei summo brabea feres.
Gratulor ex animo , captis Deus addere pondus
Dignetur , fausto sidere cuncta fiant.

*Fausti ominis causa
Amicissimo suo hoc quicquid est*

L. M. Q.

f.

Christianus Hartmannus Ledererus.



M


1017

B. M. II
fi. 40, 1

J

D

J. U



878220)

II R
2230

v.
DISCURS
PULÆ,

atq; Nobilissimi
dinis,
D E

Consultissimo atq;
FRIDERICO
ERO,

nâ Leucoreâ celeberrimâ
& Facultatis Juridicæ
simo,
tore suo etatem

oni sistit
HAGGÆUS,

us.
ris antemerid.
rilis.

GÆ,
at Michael Meyer.

